Freheri, Bongarsii, Tilii, Pithœorum, Puteanorum, Theodori & Dionysii junioris Gothofredorum, Chesniorum, Sammarthanorum, Seldeni, Spelmanni, Dugdali, Rossei, & quos expectamus Lambecii & Gamansii, curæ, nullo temporum lapsu deterentur. Sed erunt fortasse qui sic occurrent, aliud esse veterum immortalia scripta, aut etiam medii ævi monumenta servare, aliud recentiorum nugas per orbem jam tum satis talibus oneratum dispergere. Hi profectò nimis contemtim de huius ævi ingeniis sentiunt, nec cogitant, fore tempus cui & nostra vetera erunt. Quis ignorat quantam curam Rudolphus Imperator colligendis ac recensendis Theophrasti Paracelsi operibus impenderit? Tychonis Brahei reliquias laudabili instituto olim Joh. Keplerus, nunc Albertus Curtius publico dedere. Trithemii Historica plurima Freherus, Ascetica Busæus luci exposuere, Hubertum Thomam Leodium idem Freherus, Hussitica quædam Otto Brunfelsius atque Cochlæus, Grotiana Edmundus Mercerius, & Isaacus Gruterus, & Graswinkelius, clarissimi utique viri; Isaaci Vossi cura Herberti nonnulla, ejusdem Gruteri verò opera, Verulamii plurima ad nos pervenere. Fratris Pauli Servitæ Historia Marco Antonio de Dominis debetur, Edmundo Albertino in partu latini de Eucharistia operis mortuo, Blondellus & Gronovius, idem Blondellus Dallæi quibusdam, Montacutius, Jacobi Angliæ regis, & Laudi, opusculis, tùm Episcopio Curcellæus ac Pœlenburgius, Pieruci9 Scioppio, Cassandro Cordesi9, aliis alii, obstetricati sunt; reliquiæ qualescunq; Scaligeri, Perronii, Thuani, & quod speramus, aliorum plurium, à Fratribus Puteanis exceptæ, per Isaacum Vossium publico nunc communicantur. Epistolas Casauboni collegere Gronovius & Grævius, Salmasii Clementius, Grotii idem Isaacus Gruterus, variorum Goldastus philologicas, Melanthonis Peucerus, Pezelius, Manlius, Camerarii, Manutii nuper Thomasius; Schlusselburgius, Heinsius, Bertius, Gabbema & Pœlenburgius Theologicas edidere. Infinitum est omnes referre. Erunt tamen rursum haud dubiè, qui sic excipiant: inedita edere fortasse excusari posse, at cramben semel coctam rursus apponere projectæ prorsus